

Ad Mortem Festinamus

$\text{♩} = 240$

Ad mor - tem fe - sti - na - mus, pec - ca - re de - si - sta - mus. pec - ca - re de - si - sta - mus.

Scri - be - re pro - po - su - i de con - temp - tu mun - da - - no,

ut de - gen - tes se - cu - li non mul - cen - tur in va - - no.

Iam est ho - ra sur - ge - re a somp - no mor - tis pra - vo. a somp - no mor - tis pra - vo.

Ad mortem festinamus, peccare desistamus.

Scribere proposui
de contemptu mundano,
ut degentes seculi
non mulcentur in vano.
Iam est hora surgere
a sompno mortis pravo.

Vita brevis breviter
in brevi finietur
Mors venit velociter
quae neminem veretur
Omnia mors perimit
et nulli miseretur.

Ni conversus fueris
et sicut puer factus,
et vitam mutaveris
in meliores actus,
intrare non poteris
regnum Dei beatus.

Tuba cum sonuerit,
dies erit extrema
et iudex advenerit,
vocabit sempiterna
electos in patria
prescitos ad inferna.

Quam felices fuerint
qui cum Christo regnabunt,
facie ad faciem
sic eum spectabunt,
Sanctus, sanctus Dominus
Sabaoth conclamabunt.

Et quam tristes fuerint
qui eterne peribunt,
pene non deficient
nec propter has obibunt.
Heu, heu, heu, miseri,
nunquam inde exibunt.

Vila cadaver eris
Cur non peccare vereris?
Cur intumescere quaeris?
Ut quid pecuniam quaeris?
Quid vestes pomposas geris?
Ut quid honores quaeris?
Cur non paenitens confiteris?
Contra proximum non laeteris?

Cuncti reges seculi
et in mundo magnates
advertisant et clerici
omnesque potestates:
fiant velut parvuli
dimittant vanitates.

Heu, fratres karissimi,
si digne contemplemus
passionem Domini,
amara et si flemus,
ut pupillam oculi
servabit ne peccemus.

Alma Virgo virginum,
in celis coronata
apud tuum filium
sis nobis advocata.
Et post hoc exilium
occurrens mediata.